

poterit ad interesse, ut ibi disponitur: Ergo idem sit in nostro casu: quia licet designetur tertia persona, cujus favore prohibeatur alienatio, non tamen possit impediri: & non expressè probat illa lex secundum verum & communem intellectum. Faciunt etiam pro hac parte omnia fundamenta & rationes, quas allegavi supra in favorem communis opinionis, quæ habet, quod per contractum non potest impediri alienatio. Præterea in terminis facit text. & communis opinio & resolutio in leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi. de Legat. 1.* de quo latius infra dicemus: ubi habetur, quod specialiter in ultimis voluntatibus, earum favore per testatorem potest impediri alienatio, quando apponitur justa causa, vel designatur persona cujus favore impediatur alienatio: ergo indistinctè etiam in illis casibus contrarium dicendum est in contractibus. Facit etiam concludens ratio & fundamentum; quia in contractibus nullo modo potest transferri dominium nec possessio ex contractu vel ex distractu, etiam concurrente voluntate partium, nisi interveniat vera vel ficta traditio, ut in leg. *Traditionibus. Cod. de Pact. cum similib. & in leg. Ab emptionis. ff. de Pact. & in leg. 1. & 2. Cod. Quando liceat ab emptione disceder.* Confirmatur etiam ex doctrina Glossæ notabilis in leg. 1. *Cod. de Inoffic. donat. in glossa magn. in versic. At hic non ita credo.* ubi dicit, quod in casibus, in quibus ex aliqua dispositione ipso jure transfertur dominium sine traditione, resoluta illa dispositione & titulo, transfertur ipso jure dominium sine traditione: secus verò si in dispositione requiratur traditio ad translationem domini; quia similiter requiretur in ejus dissolutione: & illam Glossam ad hoc dicit ibi valde notabilem Bald. in *fin. versic. & Alexand. in leg. fin. Cod. de Legat. 2. col. num. 3.* & istam doctrinam ponit Bart. licet illam Glossam non alleget in leg. *Et ideo. ff. de Condit. furr. 1. col. num. 2.*

26

Et tenendo istam partem prout est tenenda, dico, quod non obstat text. in *dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. qua sub mod.* ubi videtur probari contrarium, imò quod illi tertio quærat actio: Quia respondeo, quod quæritur sibi actio merè personalis contra donatarium vel hæredes, ut restituatur sibi res, quam sub hoc pacto & modo recepit, non verò quæritur sibi dominium, nec possessio aliqua, actio realis, utilis, nec directæ: & ita intelligit ibi Glossa ordinaria Petr. Cyn. Alber. Faber Bart. Bald. Angel. Salycet. & communiter DD. Et ut verus & perfectus intellectus illius legis appareat, dico, quod regulariter ex pacto ap-

posito super re mea, quæ debet durare mea, benè quæritur actio tertio: secus quando non debet durare mea: text. est in leg. *Publio. in princip. ff. Deposit.* ubi, si depono rem meam apud te, ut alteri restituas, quæritur illi actio: & ad hoc notat & commendat ibi Bart. Bald. Salycet. Paul. de Castr. & communiter DD. text. in leg. *penult. Cod. Ad exhibend.* & ibi notat Cin. Petr. Jacob. Butr. Bart. Angel. Bald. Salycet. Paul. & communiter DD. Si verò apponatur super re, quæ non debet durare mea, non quæritur actio tertio: text. est in leg. *Certi conditio. §. Quoniam. ff. Si cert. petat. & in leg. Debitor. §. fin. ff. Ad Trebellian. & in leg. Filia. ff. de Solution.* hoc tamen fallit in contractu donationis favore exercentis liberalitatem, quia ex pacto in tali contractu posito quæritur actio personalis tertio, licet res non duret mea: ille est text. qui sic debet intelligi in *dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. qua sub mod.* & in specie istam doctrinam & resolutionem ponit Bart. in leg. *Certi conditio. §. Quoniam. ff. Si cert. petat. 2. col. num. 6.* & ibi Angel. in *fin.* & notabiliter ibi Paul. de Castr. 1. col. num. 9. Jas. 2. col. num. 2. Philipp. Dec. in *fin.* Bart. in leg. *Stipulatio ista. §. Si stipuler. penult. col. in fin. de Verbor. obligation.* & ibi Alexand. *penult. col. & fin. col. Jas. penult. col. num. 20.* idem Jas. in leg. *Quod dicitur. eod. tit. fin. col. & quast. Imol. in leg. Ex facto. §. Si quis rogatus. el. 1. 4. column. ad Trebellian.*

Non obstat etiam text. in leg. 2. *eiusd. tit. Cod. de Donat. qua sub mod. & in leg. fin. Cod. de Legat.* ubi habetur, quod donatio vel contractus potest fieri ad tempus, ita ut post tempus res debeat restitui vel reverti donatori vel hæredibus: Quia respondeo, quod debet intelligi modo prædicto, scilicet, ut quærat ei tantum actio personalis, non verò dominium, nec possessio, nec actio realis: Et in terminis ita tenet & declarat Petr. de Bellapert. in *dict. leg. 2.* & est de mente Bald. & omnium DD. ibi, tenet etiam Petr. de Bellapert. in *dict. leg. fin. Cod. de Legat.* Secus tamen est in ultimis voluntatibus; quia si testator legavit rem usque ad tempus, ut post tempus sit hæres; post illud tempus ipso jure transfertur dominium rei in hæredem: ita debet intelligi text. in *dict. leg. fin. Cod. de Legat.* in quantum loquitur in legato, vel fideicommisso: & ita tenet & declarat ibi Glossa ordinaria in *glossa penult. in verb. Remanentibus.* & ibi Petr. de Bellapert. Bart. Salyc. Alexand. & communiter DD. idem probat text. in *Authentic. Cui relictum. versic. fin. Cod. de Indist. viduit. toll. quem ibi notat*

et solus Salycet. Facit etiam notabilis doctrina Glossæ ordinariæ in leg. 1. in *glossa magn. in fin. versic. At hic non ita credo. Cod. de Inoffic. donat.* ubi dicit, quod casibus, in quibus ipso jure ex aliqua dispositione transfertur dominium sine traditione, resoluta illa dispositione & titulo, re transfertur ipso jure dominium sine aliqua alia traditione: secus verò è contra, si in aliqua dispositione requiratur traditio, prout regulariter requiritur in contractibus; quia similiter requiritur in dissolutione: quam Glossam dicit ibi valde notabilem Bald. in *finalib. verb. Alexand. in leg. fin. Cod. de Legat. 2. col. num. 3.* & istam doctrinam ponit Bart. licet illam Glossam non alleget, in leg. *Et ideo. ff. de Condit. furr. 1. col. num. 2.* Pro qua sententia & doctrina considero textum singularem in proposito in leg. *Mortis causa res donata. cum leg. sequent. ff. de Donation. causa mort.* quem sic induco: In donatione causa mortis solo titulo transit dominium in eum cui fit donatio sine aliqua traditione: text. est unicus in jure, juncta Glossa in leg. 2. *ff. de Publ.* quem ibi dicit unicum Bald. & Angel. de Perus. & dicit unicum Bald. in leg. 2. *Cod. Si quis alteri sibi. post princip. num. 2.* isto enim casu, si revocetur donatio expressè vel tacitè, statim ipso jure acquiritur dominium ipsi donatori: ille est verus & realis casus in *dict. leg. Si mortis caus. cum leg. sequent.* quem ad hoc considerat & reputat valde singularem Paul. de Castr. ibi. Ex quo text. in *dict. leg. fin. Cod. de Legat.* sic declarato & confirmato, infero & dico, quod procedit & debet extendi, nedum quando res legata debet post tempus redire ad ipsos hæredes testatoris, sed etiam si ex dispositione testatoris debeat redire ad quemlibet tertium extraneum: quod apertè fundatur ex superioribus: & in expresso ita tenet ibi solus Petr. de Bellapert. 1. col. *propè fin.*

28

Non obstat etiam dicta lex Partitæ: Quia in quantum dicit, quod transacto die vel tempore, hæres donatoris vel alter tertius consequetur & acquirat dominium & possessionem rei, debet intelligi, quod respectu ipsius donatoris vel hæredis benè revertitur dominium & possessio; quia non recesserat ab eis, cum tantum rem concessit utendam & fruendam respectu ususfructus, & sic dominium & civilis possessio erat penes eos: Sed respectu extranei est difficultas illius legis; undè, posset dici, quod respectu extranei intelligatur, quod quæ-

ratur ei dominium & possessio, mediante actione personali quam habet ex pacto donatoris, juxta text. cum materia in *dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. qua sub mod.* Et iste sit verisimulus sensus & intellectus illius legis Partitæ: Et confirmatur; quia cum leges Partitæ regulariter non sint correctoriæ juris communis, non est dicendum nec credendum, quod illa lex corrigat in hoc jus commune tot & tantis legibus & rationibus confirmatum. (p) Vel aliter & secundò, & quidem subtiliter potest intelligi illa lex, quando primo res donatur quoad usufructum pro certo tempore, ut post tempus res pertineat alteri: nam tali casu, post illud tempus quæritur illi tertio dominium & possessio ipso jure; quia videtur intervenire quidam actus fictus translatus possessionis, scilicet retentio ususfructus: argumento text. in leg. *Quisquis. Cod. de Donat.* & eorum quæ latè dico in materia possessionis, in quarto acto ficto. Vel aliter & tertio dicamus, quod illa lex sit nova & exorbitans à regulis juris communis, & per eam deciditur, quod illo casu transeat dominium & possessio in illum tertium: & fortè potest esse ratio; quia loquitur de bonis vinculis & restitutioni subjectis, in quibus specialiter hoc voluit decidere illa lex, & ex ea fortè hodiè habuit ortum *lex 45. infra his legib. Taur.* Sed adhuc primus intellectus supra assignatus videtur mihi verior & tenendus.

Item adde pro intellectu & declaratione text. in *dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. qua sub mod.* quod licet vellet, quod si res donatur eo pacto vel modo, ut post mortem donatarii vel post certum tempus pertineat alicui tertio, acquiratur ei actio personalis; tantum habet locum & procedat in contractu donationis; secus tamen est in alio, ut venditionis, vel quovis alio: ita notabiliter Alexand. in *dict. leg. Stipulatio ista. §. Si stipuler. fin. col.* & est è mente Bart. & aliorum DD. ibi. Item adde ad prædictam leg. *Quoties.* cum communi opinione, quod licet in prædicto casu, quando quis donat eo pacto, ut post mortem vel tempus quærat alteri: licet illi tertio quærat actio personalis pro re vel interesse; tamen debet intelligi contra obligatum, vel ejus hæredem: tamen non habebit actionem contra tertium possessorem rei; quia actio realis hoc casu non competit, cum non transeat dominium nec possessio; actio verò personalis similiter non com-

(p) Idem asserit Covarrub. lib. 1. *Variat. cap. 41. num. 5.* Gomez Arias in leg. 43. *Taur. num. 30.* Matienz. in leg. 8. *tit. 7. lib. 5. gloss. 3. num. 21.* Anton. Gomez, ad *Legem Taur.*



petit, quia illa tantum dirigitur contra primum donarium obligatum, & non sequitur particularem successorem: argumento text. in leg. fin. §. fin. ff. de Contrahend. emp. Sed hoc aperte hodie videtur corrigi per dictam legem Partita.

Ex quo subtiliter deducitur & inferitur, quod si donator fecit pactum favore plurium, quia donavit rem hoc pacto, ut post mortem vel tempus primus tradat secundo, & secundus tertio, & sic de aliis omnibus; queritur actio successivè contra gravatum. Item infero, quod si forte primus donatarius gravatus alienavit rem, & secundus consequatur ab eo interesse; tertius habebit actionem contra secundum pro illo interesse consequendo: quia licet in particularibus pretium non succedat loco rei, tamen quando consequutum est causa lucrativa, bene subrogatur & peti potest; argumento text. cum materia in leg. Si eum servum. ff. Si cert. petat. & in leg. Si me & Titium. cod. tit. juncta communi opinione.

Sed circa prædicta, pro maxima declaratione prædictorum quero de subtili & necessaria quaestione: scilicet, si iste donator qui donavit alicui fundum vel rem hoc pacto vel modo, ut post mortem vel certum tempus restituat alteri tertio: an possit talis donator illud pactum, modum, vel gravamen remittere & revocare, ut illi tertio non restituatur? Et videtur quod sic. Primò, argumento text. notabilis in leg. 3. ff. de Servis exportand. ubi, si dominus vendidit vel donavit servum suum hac lege & pacto, ut intra certum tempus manumittatur; transacto illo tempore, efficitur liber, ita demum si dominus perseveravit in eadem voluntate: unde, si ante tempus completum illud pactum vel modum revocavit, non erit liber; & sic in præjudicium servi potuit dominus pactum vel modum tollere: ad idem est text. in leg. 1. & 2. & fin. Cod. Si mancip. ita fuerit alienat. ut manumittat. text. in leg. 3. ff. Qui sine manumission. ad libertatem perveniunt. text. in leg. Si pecuniam. §. Si servum. ff. de Condict. ob caus. Ergo ita in nostro casu, donator possit revocare illud pactum vel modum positum in favorem tertii. Secundò: quia in nostro casu & quaestione illi tertio est quaesita actio virtute contractus innominati resultans, habita relatione ad id quod devenit in modo: ergo merito habebit locum penitentia, ut in leg. Si pecuniam. in princip. cum materia, ff. de Condict. ob caus. Unde, sicut in contractu innominato

tota dispositio per penitentiam revocari potest, ita quilibet ejus pars. Tertio, & in terminis istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in leg. Qui Roma. §. Flavius. 1. col. num. 1. ff. Verbor. obligat. qui extendit hoc, ut habeat locum etiam illud pactum sit positum in favorem Ecclesiae, vel pia causa: & ibi Joan. de Imol. 2. col. in med. Aret. 3. col. qui late disputat, & tandem se firmat in fin. col. dicens, quod tutius est tenere opinionem Bart. Alexand. 3. col. num. 8. Socin. 4. col. Jas. 7. col. num. 8. Raph. Cuman. & Petr. de Besub. Idem etiam tenet Bart. in dict. leg. 2. ff. de Servis exportand. cum quo transeunt ibi DD. tenet etiam Joan. Imol. in cap. Potuit. de Locat. penult. col. in med. & in fin. Bald. in leg. Cum à socio. Cod. de Jure dot. 2. col. Istam etiam conclusionem tenet Aret. in consil. 74. 4. col. num. 9. qui notabiliter loquitur: & illam dicit magis communem opinionem Socin. & Jas. in leg. Qui Roma. §. Flavius.

Sed his non obstantibus, teneo contrariam sententiam: imò, quod prædictus donator non possit revocare illud pactum vel modum positum in favorem tertii, modò interveniat consensus solius donantis, modò utriusque, scilicet ipsius donantis, & ipsius primi donarii. Et istam sententiam contra Bart. & communem opinionem tenet Paul. de Castr. in dict. leg. Qui Roma. §. Flavius. 1. col. in fin. num. 2. idem Paul. in leg. Insulam. §. fin. in fin. ff. Solutio matrim. idem Paul. in leg. Si pecuniam. ff. de Condict. ob caus. 3. col. 4. quaest. idem Paul. in leg. Si cum venderet. ff. de Pignor. action. 2. col. num. 5. licet littera ejus sit corrupta: & ante eum istam partem tenet Francisc. de Albergio Florentinus, qui fuit discipulus Bart. in dict. leg. 3. ff. de Servis exportand. istam etiam partem tenet Salycet. in dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. qua. sub mod. in fin. idem Salycet. in leg. 1. Cod. Si emancip. ita fuer. alien. ut manumitt. 1. col. num. 5. & dicit Paul. ubi supra, quod istam partem tenet Spec. in titul. de Instrum. edit. §. Nunc verò aliqua, versic. Cum quis legat. in addition. quæ incipit Titio decem. Sed certè ibi non loquitur, an donatio possit revocari vel non respectu Tertii, qui erat Sejus, sed tantum dicit, quod donatio non potest revocari à primo donatario, qui erat Titius, cui res erat tradita: & sic non tangit quaestione nostram, nec ad eam potest allegari. (o) Istam etiam partem tenet Roderic. Suar.

(o) Quam etiam defendit Covarrub. lib. 1. Variar. cap. 14. num. 9. cum aliis quos ipse allegat Velasquez de Avendañ. hic gloss. num. 7. Perez lib. 3. Ordinament. col. 1056. communio-rem.

Suar. in repetition. leg. Quoniam in prioribus, Cod. de Inoffic. Testam. fol. 97. 8. quaest. pr. qui dicit, quod ferè omnis Schola scribebantium tenet contra Bartol. idem Roder. Suar. allegat. 19. 3. col. fol. 176. Sed certè in hoc deceptus est: quia imò magis communis est cum Bartol. ut ex superioribus patet: istam etiam conclusionem tenet Paul. in cons. 164. antepenult. column. versic. Sed contra, hoc, facit, 2. vol. cons.

Pro qua sententia contra Bartol. & communem, primò facit text. capitalis bene ponderatus in dict. leg. Quoties, Cod. de Donat. qua. sub modo, ubi expressè dicitur, quod ex tali pacto vel modo restitutionis statim est quaesita utilis actio illi tertio: ergo eo invito, per donantem revocari non possit: quia quando ex contractu alterius mihi queritur jus, actio, vel obligatio, non potest me invito mihi auferri: argumento text. in leg. Sicut ab invito, Cod. de Actio. & obligat. text. in leg. de Contractu. Cod. de Rescind. vendit. text. in leg. Non id circo. Cod. de Contract. emp. text. in leg. Quamvis, Cod. de Transact. text. in leg. Commodato, §. Sicut, ff. Commodati. text. in leg. Si mandavero. la. 2. §. Sicut. mandat. text. in leg. Statu liberum, §. Stichum, de legat. 2. text. in leg. Si sociis. vers. 1. ff. Pro socio. text. in regul. id quod nostrum. ff. de Regul. jur. Nec obstat text. in leg. 2. §. Sed & si quis donaturus. ff. de Donationib. & in leg. Si pater, versic. Sin autem. de Manumiss. vin. cum similib. & notata in leg. 1. §. fin. ff. de Contrahen. empion. in leg. Consensu, Cod. de Dict. & obligat. & actionib. & in leg. Absent. de Donat. quia ibi actus, actio, vel obligatio non erat quaesita illi absentis, ut ibi notatur: hic verò sic. Confirmatur subtiliter ex prædicta leg. Quoties, in quantum dicit, quod acquiritur illi tertio actio, licet stipulatus non sit; sed eo casu, quo esset stipulatus quaereretur irrevocabiliter, adeo ut à donatore nullo modo posset revocari, ut in leg. Perfecta donatio, eodem titulo, de Donat. qua. sub modo. Ergo similiter in nostro casu revocari non possit; cum efficax actio jam quaesita sit. Secundò facit textus notabilis in leg. fin. ff. de Pactis. ubi, si creditor fecit pactum de non petendo ipsi debitori, ex quo queritur liberatio fidejussori, non potest debitor illud revocare in præjudicium fidejussoris: Ex quo textu sumitur notabilis doc-

trina, & theorica, quod jus mihi quaesitum ex contractu, vel pacto alicujus non potest mihi auferri: & ad hoc eum notat ibi Salyc. Angel. Paul. Jas. & communiter DD. text. in leg. Si servus, & in leg. Filius paciscendo, Cod. de Pactis, & ibi Paul. & communiter DD. ubi dicitur, quod jus mihi quaesitum ex contractu filii, vel servi non potest ab eis mihi auferri: text. in leg. Si partem, versic. final. In fin. ff. Quemad. servit. amit. ubi si testator legavit servitutem, & legatarius antequam agnosceret, vel repudiaret legatum, vendidit fundum dominantem; illi emptori queritur jus servitutis, quod amplius à legatario auferri non potest repudiatione legati, vel aliàs text. in leg. In insulam, §. fin. ff. Solutio matrim. ubi, si quis dedit dotem mulieri hoc pacto, ut soluto matrimonio dos ad eum revertatur; factò divortio, potest petere dotem, adeo quod, si postea maritus, & uxor revertantur in matrimonium, non auferatur jus quaesitum dotem repetenti: & ad hoc notat Bald. Angel. Imol. Paul. de Castr. & communiter DD. text. in leg. Cum maritus, §. fin. ff. de Pactis dotal. ubi mulier dedit dotem hoc pacto, ut post mortem suam restituatur fratri, & ille frater stipulatus est; & dicit textus, quod non potest mulier de dote disponere in vita vel morte in præjudicium fratris: quem ad hoc notat ibi Bald. Salic. & communiter DD. & dicit singularem, Aret. cons. 24. penult. column. in leg. Certi conditio, §. Nummos, juncta gloss. 1. ordinar. in versic. Vel dic, ff. Si cert. petat. ubi si quis mutuavit nummos nomine alicujus terrii absentis, ei querit actionem, quam postea eo invito auferre non poterit: & ad hoc notant & commendant omnes DD. textum notabilem in leg. Si post mortem, §. fin. ff. de Bonor. poss. contra tabul. ubi, si ex dispositione legis ex persona alicujus competit mihi aliquod jus, non potest me invito mihi auferri: & ad hoc notat ibi Bartol. Alberic. & communiter DD. textum singularem in leg. Si constante, versic. Exceptis, Cod. de Donat. ante nupt. per quem infert ibi Bald. quod quando ex contractu, vel pacto contrahentium, vel occasione contractus, per dispositionem legalem est alicui tertio jus quaesitum re, vel spe non potest ab eo recedi in ejus præjudicium: & illum textum ad hoc dicit solemnem Aretin. in consil. 74. penult. column. num.

remque hanc sententiam contra Bart. testatur Suar. in leg. Quoniam. 8. quaest. leg. Regni. pag. 516. Benedic. relatus à gloss. 2. leg. 7. tit. 4. part. 5. verioreque & communiorum contra Bart. testatur Dueñas regul. 216. quod hodie clarius procedit attenda leg. 2. tit. De los contractos y obligaciones. in fin. lib. 5. Recopilat. qua lege attenda, sic tenendum asserit nobiscum Villalob. in Antimon. juris civilis & Regu. fol. 6. num. 26. lateque eum disputat Azeved. alios referens in leg. 11. tit. 6. lib. 5. numer. 10.



num. 10. *Jas. in leg. fin. de Pactis. 2. column. post princ. text. in cap. Si tibi absentis, de Prabendis, lib. 6.* ubi, si Episcopus vel superior contulit beneficium alicui absentis, etiam non interveniente nuntio, vel epistola, non potest amplius poenitere, nec revocare; ibi notat & commendat Glossa ordinaria & communiter DD. Tertio & principaliter, & magis in expresso hodie in nostro regno. facit *lex 3. tit. 8. lib. 3. ordinam.* qua cavetur, quod indistincte potest quis alteri obligari, etiam absentis sine aliqua stipulatione vel solemnitate, dum constat de voluntate obligantis: ergo in nostro casu illi tertio fuit quaesita actio & obligatio ex voluntate donantis, & ex ejus pacto vel contractu, & si fuit quaesita: ergo revocari non potest. Confirmatur hoc, quia Bald. *in leg. Cum à socero, 2. column. in fin. Cod. de Jure dotium*, & communis opinio Modernorum *in dict. leg. Qui Roma, §. Flavius de verbor. obligation.* dicit, quod si in proposita quaestione Notarius stipuletur pro ipso tertio, non potest postea per donantem revocari: sed hodie, attenda illa lege regia quaeritur jus vel actio illi tertio, & cuilibet absentis, tanquam si intervenisset stipulatio: ergo revocari non potest.

31 Et tenendo istam partem, quam teneo pro verissima, dico, quod non obstat primo textus capitalis in quo se fundabat Bartol. & communis opinio *in leg. 1. ff. de Servis exportan.* Quia dupliciter respondeo, & primo sic: quod in illa lege aperte requiritur perseverantia in domino alienante servum pacto, vel modo, de quo *ibi*: unde merito dominus potest illud pactum vel modum revocare; quod probat *ibi* textus, dum dicit, *si is tamen qui vendidit, in eadem voluntate perseveraret*; probat etiam text. *in leg. Si pater, versic. Sin autem, ff. de Manumiss. vindict.* in nostra vero quaestione, & casu dictae leg. *Quoties* talis perseverantia non requiritur; ideo revocari non potest. Vel aliter & secundo respondeo, quod *ibi*, scilicet *in dict. leg. 1. ff. de Servis exportand.* pactum vel modus fuit appositus in favorem servi, cui non potuit aliquo modo quaeri actio vel obligatio, cum sit omnino incapax; ut *in Regul. quod attinet, ff. de Regul. jur.* & ex hoc jura disponunt, quod tali pacto vel modo non revocato, servus efficitur ipso jure liber secundum voluntatem domini: ita dicit text. *in leg. 3. de servis export. text. in leg. 1. & 2. Cod. Si mancip. ita fuer. alien. ut manumit. text. in leg. 3. ff. Qui sine manum. ad libertat. per text. in leg. Si pecuniam, §. Si servus de Condict. ob caus.* sed in nostra quaestione, & sic in casu praedictae leg. *Quoties* ille tertius, in cujus favorem pactum vel modus ponitur, est libera persona, & capax actionis, & obligationis, & ei est quaesita

actio & obligatio: Unde, merito in ejus praedictum revocari non potest. Et si replices: Quomodo potuit huic tertio absentis quaeri actio sine acceptatione & consensu, imò, sine eo quod interveniret nuntius vel epistola? quia alias non potest valere, per textum notabilem junctam communi doctrina *leg. Absenti, ff. de Donation.* ubi, quando donatio fit absentis, requiritur acceptatio, voluntas, & consensus donatarii: imò, si postquam quis donavit, donatarius sciverit & acceptet, non sufficit, sed requiritur quod interveniat nuntius vel epistola ad conjungendas voluntates: ita tenet *ibi* Bartol. *in princ.* Albert. Jacob. & Oldr. quos ipse refert. Paul. Imol. Cuman. & ceteri DD. Facit Glossa ordinaria *in leg. Consensu, ff. de Action. & oblig. Gloss. in leg. 1. §. fin. ff. de Comm. empt. §. In leg. Illud, Cod. de Sacros. Eccles.* & ibi notat. Albert. Jacob. Bartol. & omnes Gloss. *in leg. Nec ambigi, Cod. de Donat.* & ibi expressè notat Cyn. Bald. & Salyc. Respondeo, quod ille textus & communis opinio loquitur & procedit, quando donatio incipit à traditione vera vel ficta, & fiebat absentis; nam tunc requiritur acceptatio & consensus modo praedicto, scilicet, interveniente nuntio vel epistola: Nos vero loquimur, quando donatio incipit à promissione vel obligatione. Sed advertendum subtiliter, quod ista solutio non satisfacit: Quia quando donatio incipit à promissione, vel obligatione, fortiori vel eadem ratione non valet, si fiat absentis; nam de jure antiquo hoc expeditum est, cum requirebatur stipulatio, quae non poterat fieri inter absentes, etiam mediante nuntio vel epistola, ut *in leg. 1. ff. de Verbor. obligation.* hodie vero de jure novo Codicis bene valet per pactum nudum, & per consensum utriusque: Sed tunc, si fieret absentis, requiritur nuntius, vel epistola ad conjungendam voluntatem & consensum: ita singulariter tenet & declarat Jacob. Butr. & post eum alii DD. *in leg. Illud, Cod. de Sacrosanct. Eccles. Fab. & Angel. in princ. Instit. & obligation. ex consensu*, & secundum hoc, in nostro casu & quaestione, modò donatio incipiat à traditione, modò à promissione & obligatione, non potuit quaeri actio illi tertio absentis, nisi postquam consensit interveniente nuntio vel epistola: Ergo bene potuit donator revocare. Et ista est nova & subtilis difficultas, quam nemo possuit in hoc articulo. Sed ea non obstante, teneo istam sententiam & conclusionem contra Bart. quam supra fundavi; & praedictae difficultati respondeo subtiliter, quod procedit quando principaliter & de per se fit donatio, & non dependet ab alio actu, nec persona, ut si quis donat rem vel aliquam quantitatem absentis; tunc enim non valebat in

ejus

ejus persona quoad dominium, nec quoad obligationem: Secus vero quando donatio fit praesenti, taliter quod valeat, & in ejus persona habeat vires; quia tunc, si gravetur alteri dare vel restituere, tunc illi tertio quaeritur per legem utilis actio, etiam ignoranti, & non interveniente nuntio vel epistola: quia fortificatur ex prima donatione valida, & ab ea recipit fomentum: Et iste est verus, & realis sensus & intellectus illius text. *in dict. leg. Quoties*, sic alibi non dilucidatus. Unde, illa donatio non potest revocari, quia jam per legem est quaesitum jus. Hodie tamen de jure regio hoc magis clare procedit & habet locum *per legem 3. tit. 5. lib. 3. ordinam.* modò fiat donatio praesenti, modò absentis, modò fiat de quantitate, modò de aliqua re in specie: modò incipiat à traditione, modò à promissione.

32 Non obstat secundo, quod in nostro casu & quaestione resultat contractus innominatus, scilicet, *do ut des, vel facias*, habita relatione ad id quod venit in modo: ergo merito potest revocari; quia habet locum poenitentia. Quod fundamentum in hoc articulo posuit Joan. de Imol. Alexand. & alii DD. *in dict. §. Flavius.* Quia subtiliter respondeo, quod in nostro casu & quaestione non resultat aliquis contractus innominatus imò est contractus nominatus donationis in persona primi, qui revocari non potest: similiter respectu tertii, cui est fienda restitutio non est contractus innominatus, imò est donatio, ex qua quaeritur ei actio *per dict. leg. Quoties.* Confirmatur etiam: quia in contractibus innominatis ita demum habet locum poenitentia, quando nulla est nata actio ei à quo fit revocatio, quia res est omnino integra ex parte utriusque contrahentis: vel quando unus ex contrahentibus implevit ex sua parte, alter vero non, tunc ille, qui implevit potest poenitere & contractum revocare ex eo, quia contractus censetur debilis, & nulla fuit quaesita actio ei cui impletum est: ista est propria & realis dispositio text. *in dict. leg. Si pecuniam, ff. de Condit. ob causam.* Sed in nostro casu & quaestione non est contractus innominatus, sed verus & nominatus contractus donationis, tam in persona primi donatarii, quam secundi, vel tertii, cui est fienda restitutio: Praeterea illi secundo vel tertio statim est quaesita efficax actio ex illo pacto & modo donationis & restitutionis, per textum *in dicta leg. Quoties*, ergo revocari non potest, nec habere locum poenitentia. Vel aliter respondeo, quod licet in nostro casu & quaestione resultaret contractus innominatus, tamen hodie de jure

regio non posset revocari, nec habere locum poenitentia, ut supra dixi: quia hodie in contractibus innominatis, etiam nullo implemento secuto, oritur actio, & non habet locum poenitentia *per dictam leg. 3. tit. 8. lib. 3. ordin.*

33 Et ex his infero singularem & utilem declarationem *ad leg. 27. supr. his ll. Tauri*, ubi habetur, quod pater potest per contractum & donationem inter vivos meliorare filium quem vellet in tertio bonorum, & in eo apponere substitutiones, vincula, & gravamina quae voluerit. Nam dico, quod si pater gravaret talem filium melioratum restituere praedictum tertium alteri filio, vel descendenti, vel in defectum eorum, alteri personae, secundum formam & dispositionem praedictae legis; non posset pater solus, nec concurrente consensu primi filii meliorati postea illud gravamen, vinculum, vel summisionem tollere vel revocare in praedictum alterius filii, vel descendenti, vel tertii in cujus favorem positum est gravamen vel vinculum restitutionis; cum per illam legem jam sit eis jus quaesitum, (q) & in terminis ita tenet & concludit Roderic. Suarez *in repetition. leg. Quoniam in prioribus, fol. 97. 8. quest.* quam tamen ego declaro isto modo: nam si pater adhuc non tradidit praedictam meliorationem primo filio meliorato, nec scripturam ejus, nec fuit facta ex causa onerosa, tunc bene posset revocari, tam respectu primi, quam alterius qui successivè in tali melioratione nominatus est: nam cum indistinctè sit revocabilis *per leg. 17. Taur.* sequitur quod poterit pater revocare respectu utriusque, vel respectu illius tertii successivè nominati; cum nulli eorum sit quaesitum jus perfectè & irrevocabiliter. Si vero dicta melioratio sit tradita primo filio meliorato, vel ejus scriptura, vel fuerit facta ex causa onerosa, vel aliter sit effecta irrevocabilis ex causis & modis contentis *in dict. leg. 17. Taur.* tunc dico, quod nullo modo posset revocari respectu primi, nec respectu tertii successivè nominati; quia jam à principio fuit perfecta irrevocabilis. Et si dicas, quod tantum respectu primi praedicta melioratio est irrevocabilis, quia ei fuit tradita possessio, vel scriptura; vel causa onerosa, vel alia, per quam efficitur irrevocabilis, respicit tantum primum filium melioratum, non vero tertium successivè nominatum: unde videtur, quod respectu ejus possit revocari. Subtiliter respondeo, quod ex eo quod jam melioratio semel est irrevocabilis respectu primi propter aliquam causam de contentis *in his ll. Taur.* maxime *in leg. 17.* statim jam est qua-

(q) Vide quae diximus, ad num. 29. ibi: *Et istam sententiam.*